

ditionibus sanciatur , abhorret ? a plerisque , quibus in magnas angustias compellere Paulum potuisset , Regis jussu abstinuisse ; quod usque ad Romanæ urbis portas accessisset , scillas mœnibus admovisset , nulla alia re ductum , nisi ut durus nimium Pontificis animus , fractus , ac perterritus ad concordiam flecteretur . Tum Franciscius , eo magis colloquium cum Caraffis ineundum Albano esse , inquit , quo promptius cunctis pacis studium significet , neque quidquam , quod ad illam attineret , prætermis se videatur : petenti Senatui Veneto ea in re satisfaceret ; atque hoc postremum Italiae quieti , ac tranquillitati tribueret . Multis hinc atque inde agitatis , tandem vietus Albanus , Senatus voluntati satisfactum , inquit ; locum colloquii Prænesti deligit . Franciscius statim cum Ducis responso ad Pontificem , atque Cardinalem revertitur . Tubicine præeunte , Romam ingredienti undique multitudo circumfunditur , ecquidnam ferret , sollicite postulat ; dum mixta interim vulgi fremitu multorum voces exaudirentur , qui extrema quæque se pati inclamantes , eas , quibus circumsepti essent , calamitates perpeti diutius non posse , vociferarentur . Sequenti igitur die Carolus Cardinalis , atque Antonius Caraffa , Pontifice adsentiente , una cum Sanctiflorio , & Vitelorio Cardinalibus , Prænesti prope Albani Ducis castra se contulere ; mox Cavio oppido haud longe a Paliano ad negotium peragendum designato , eodem omnes convenere .

Dum hæc fiunt , Lodevensis Episcopus , quo loco Gallorum res sint , Patribus exponit ; clades nuper acceptas memorat ; *Guisium cum exercitu in Galliam evocare , Italiamque deservare Henricum cogi* ; pro qua tuenda quid egerit , quid per tot annos , immensis fere exhaustis copiis , suorum sanguine , atque internecione effecerit , iis notum esse , qui ea , quæ pro Parma , pro Senensi Republica , pro Romano Pontifice aggressus sit , prospexit : vehementer dolere , atque angi , quod præclaris ausibus eximia Regis voluntati , ac virtuti fortuna infesta nimium extiterit : sperare amplissimum , ac potentissimum Galliae regnum , insita virtute , ac robore subnixum , diutius illatas injuras inultas non passurum : id tantum vereri , ne ,

*Pontificis
cum Albano
Duce Prae-
nesti mox
Cavii ad
colloquium
conveniunt.
Lodevensis
Gallia le-
gati apud
Venetos of-
ficiunt.*